



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXX. Modestia respondet Momo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Sed tibi purpureã frons abdicat improba nubem,
 Nec nisi fœda leues spargis in ora comas.
 Quale nefas! nudi probra quò piet ista pudoris,
 Nunc opus hïc alius qui tegat ora pudor.

L X X.

Modestia respondet Momo.

MOMOVS an in læuam ridendas despuit iras
 Crudus, & atra nigro cum sale probra
 vomit?

Despue inurbani fera iurgia & orgia Momi:
 Nolo tuas abdat textilis vmbra genas.
 Si frontem sine fronte pudor tibi perfricat orbis
 Sindone; sic nudam dedecuisse decet.
 Qui sua sic nudat inuesti crimina vultu,
 Nec scelus erubuit; crimine liber abit.
 Nec benè quis soluit, quẽ debet noxa, pudorem,
 Anxia ni soluat frena pudoris Amor.

L X X I.

MAGDALENA *animo linquitur*
CHRI^ST^I *explorans vulnera.*

ARCANAS tacito suspendens ore querelas
 Magdalis aspectat lugubre mortis opus:
 Exceptumque sinu frigentem lustrat IESVM;
 Rimaturque oculis, vulnera quanta secant.
 Osculaque effusis dat & eripit vda labellis:
 Rursus hians oculis vlcera mille legit.
 O quoties libuit votis accersere mortem,
 Vt toties vidit membra cruenta mori!

Præ